



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput III. Christus in domo Caiphæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

hoc eum stimularent amicos, respondit: *Non extendam manum meam in Dominum meum; quia Christus Domini est.* Et ego tamen extendi manum meam in te Christum Dominum, qui sum *opus manuum tuarum: manus enim tuæ fecerunt me.* Toties faciem tuam cæcidi, quoties in peccatum cecidi, quid dicam, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? quò ego jam convertam faciem meam? si suspicio, timeo fulgurantem gladium Justitiæ; si despicio, horreo inferorum barathrum; si circumspicio, video hostium minantium in circuitu exercitum. Hæc omnia ut declinem, tibi supplico, ô Pater ut non aspicias indignitatem sceleris mei, sed *respice in faciem Christi tui.*

CAPUT III.

Christus in domo Caiphæ.

§. I.

Falsa contra Christum testimonia.

Sacro plenus horrore, & ingenti attonitus stupore, ingredior domum Caiphæ, hoc est seminarium injustitiæ, auditorus ea, ad quæ ambæ aures tinnient; visurus quæ è geminis oculis deducunt exitus aquarum, fontes lachrymarum. Tu interim, qui *ures persecisti mihi*, dum hæc audio, *inclina aurem tuam mihi: sonet vox tua in auribus meis.* Tu, qui diligis me, ut *pupillam oculi tui*, si inveni gratiam in oculis tuis, illumina oculos meos, ut videam *visionem hanc magnam, quæ est mirabilis in oculis nostris.* In hac domo proponetur nobis summus Judaicæ Synagogæ Pontifex, & supremus sacri Concilii Judex Caiphæ, coram quo magni consilii Angelus, primò falsè accusatus, deinde inique

Ps. 39. 7.

Ps. 16. 6.

Cant. 2.

14.

Ps. 16. 8.

Ps. 12. 14.

Exod. 3. 3.

inique iudicatus, tandem sacrilegè fuit condemnatus : quia tria his verbis complexi sunt bini Evangelistæ, Matthæus 26. Marcus 14. *Tunc tenentes IESVM duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum; ubi Scribæ, & Seniores, & Pharisei convenerant. Principes autem Sacerdotum querebant falsum testimonium contra IESVM, ut eum morti traderent.*

Annas, incarnatus Satanas. Christum auctorem vitæ, tanquam reum mortis mittit ad Caipham, summum Pontificem, iniquissimum Iudicem. Sequere quisquis es viator Christum, qui est via. Aspice lugentem illam pompam, & vide quam inhumaniter, imò immaniter filii diaboli ducant, vel potius trahant Filium DEI. Erant in domo Caiphæ congregati Scribæ, Pharisei, & Seniores; quot hominum capita, tot viperarum genimina; singuli ardentes irâ, inflati arrogantia, inflammati invidia in Christum, qui erat illorum salus, vita, & gloria. Erat autem concilium, vel potius conciliabulum coactum in nomine Sathanæ ad effundendum sanguinem innocentem. Hos inter medius versabatur spiritus malignus, qui eos ad omne genus malignitatis, & barbaræ crudelitatis instigabat. Considera hic, cum jam ad illos accederet Christus, quàm conceptim illum exceperint, quàm trucibus oculis, ac minaci vultu, ac elatis superciliis eum ut hominem despectissimum aspexerint: quàm gaudebant superbissima capita, cum viderent tam vilem ac contemptum coram se consistere Dominum gloriæ. Sed quanta tunc fuerit Jerosolymæ perversitas, quàm exaggrata iniquitas, vel ex hoc Concilio pronum fuerit conijcere Nullum erat toto orbe, vel famâ celebrius, vel auctoritate gravius, vel maiestate augustius, vel religione sanctius

Con-

Concilium, quàm illud, de quo hic loquimur Judaicæ synagogæ. Hoc Concilium erat totius orbis quasi oraculum: singula hujus Concilii responsa, erant totidem effata; quot in eo Judices, tot Prudentiæ Antistites, tot Æquitatis Præsides. Ipsi in illo Concilio videbatur sedem fixisse Justitia. Et tamen in hoc Concilio ineunt Sacerdotes consilium, quomodo possint invenire falsum testimonium. Spectate Jurisperiti insignem formam Juris. Judicis est falsos testes plectere, falsa testimonia refellere. Hic falsi testes quærentur, inventi cum plausu audiuntur: testimonia, licet falsa, omnium calculis approbantur. Studiosissimè ergò quærent, sagacissimè odorantur, solertissimè investigant falsum testimonium. Contra quem? contra JESUM. Sciebant surdos, qui auditum; mutos, qui sermonem; amentes, qui rationem; cæcos, qui diem; mortuos, qui vitam à JESU receperant, daturus pro JESU testimonium verum. Infiniti hic fuissent testes, qui uno ore clamassent: *Benè omnia fecit.* Sed quia malevoli isti, malevolebant ei, qui bene omnia fecerat, quærebant falsos testes, & per illos falsa testimonia.

Matth. 7. 87. Verè dixit Veritas: *Sicut exaltantur cœi à terra, sic exaltata sunt via mee in vis vestris, & cogitationes mee à cogitationibus vestris.* in terris ineunt consilium homines, & quærent falsum testimonium, quo Filium DEI morti tradant. In cœlis ineunt consilium tres divinæ Personæ, & quærent verum præsidium, ut hominem morti traditum, vitâ donent. Actum erat de homine, reus erat mortis, filius gehennæ: licet omnis mundi potentia, & fortitudo simul collecta fuisset: licet oblata omnes bestię terræ in holocausta, & victimas DEO fuissent: licet omnes homines, quidquid habent

Peccati
venialis
gravitas

ia venis

in venis sanguinis effudissent: licet omnes Angeli incarnati fuissent, & singuli milles mortui pro satisfactione unius, etiam minimi peccati venialis: licet singuli eorum plus & gratiæ, & sanctimonix habuissent, quàm omnes Sancti simul, qui fuerunt, sunt, & erunt. non potuissent (sepositis Christi meritis) DEUM nobis offensum propitiare pro unico levissimo delicto, nec promereri nobis vel guttulam aquæ, quam à Lazaro flagitabat Epulo. Sola potens, & ineffabilis charitas JESU, ob reverentiam, quâ eum divina Justitia prosequabatur, poterat nobis jam lapsis porrigere manum, ut erigeremur, & eripere de profundo lacu, & reddere nobis libertatem, hæreditatem, honorem, gloriam, vitam, bona omnia quæ amiseramus. Ille est qui vincula nostra solvit, & captivos è carcere manumisit. JESUS est qui nos leprosos mundavit, cæcos illuminavit, & agros sanavit, mortuos resuscitavit: & tamen post tot ac tanta amoris veri testimonia, conspirat totus mundus contra JESUM, quærunt omnes falsum testimonium ut eum perdant; ineunt singuli consilium ut obscurent ejus Gloriam, confundant Majestatem, contemnunt Justitiam, vilipendant Misericordiam, explodant Sapientiam, condemnent Innocentiam, odio habeant Bonitatem, ut tollant è rerum naturâ auctorem omnis gratiæ & totius naturæ. Horum scelerum ego non tantum complex, sed auctor, cum Judæis conveni, cum illis quæ sivi falsum testimonium contra te. Dixi enim *insipiens in corde meo*: *Non est DEVS.* O verè falsum testimonium! ô immane sacrilegium! summo illi Numini me hostem plus quàm indicto bello constitui. Potentiam, sine qua nihil quisquam potest, contra ipsum invio-

Psal. 132
1.

inviolabile Numen, vertere, & suis ipsum viribus, ac quasi armis oppugnare aggressus sum. DEUM denique ipsum rerum omnium principium, & finem ultimum, incommutabilem illam, & independentem, ac necessariam substantiam, omnesque ejus perfectiones destruere, perdere, pessumdare conatus sum. O Judex! hoc contra me est, non falsum, sed verum testimonium: sed illa tua est clementia, ut dum coram te, contra me aliquid dicam, sit pro me; & in favorem causæ, vertitur confessio culpæ. Illa tua est Bonitas, ut me bonum reddas, dum me malum profiteor. Dixerim aliquando insipiens in corde meo: Non est DEUS. Falsum hoc fuit meum testimonium de te. At modò non tantum corde, sed ore dico, hoc verum de te testimonium. Licet hic adstes, quasi malefactor vinctus, quasi nocens judicandus, quasi reus condemnandus, hoc tamen coram cælo, & terra, Angelis & hominibus de te profero cum Judith testimonium: *Tu es DEVS, & non est alius præter te.*

*Judith. 9.
19.*

§. II.

*IESV coram Caïpha, ad falsa testimonia
silentium.*

Solers in suis consiliis nequitia, quæ siverat contra JESUM falsa testimonia: sed quodnam contra falsum testimonium Christus suscepit patrociniū? non aliud quàm silentium.

Matt. 25. *Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? IESVS autem tacebat, & nihil respondit.*

Rectè tu quidem facis, ô Princeps Sacerdotum, quod surgas: sed rectius faceres, si non solum è sede surgeres, sed sedem ipsam desereres: quia

quia illa tua sedes non est tribunal Justitiæ, sed iniquitatis; est ipsa cathedra pestilentia, quæ non tam convenit Principi Sacerdotum, quàm præfidi nebulonum. Sed surgente, & ad loquendum urgente Principe Sacerdotum, Sacerdos ille magnus non habens quid in tam bona causa defenderet, quid in tam stolidâ accusatione refelleret. luculentissimam opponit tot objectis criminibus apologiam, silentium: *Jesus autem tacebat.* O dignum omnium ore deprædicari silentium! nunquam tanto vel sui plausu, vel aliorum fructu Tullius è rostris disseruit, quanto Christus in hoc Concilio, siluit. Hoc Christi silentium in stuporem rapuit totum cæli amphitheatrum. Hic, hic adsit querula maledicentia, hic garrula invidia, hic male facunda jactantia. Discat hic ponere frænum ori suo, quisquis extemporalis est Rhetor, ut se defendat, etiam dum nocens accusatur. Si quis non falsum contra innocentem, sed verum contra nocentem proferat testimonium: quisque hic pro sua causa dicacissimus, quidquid est mordacitatis in Jambicis, quidquid salis in Satyricis, quidquid acrimoniæ in Philippicis, dentatissimâ linguâ in adversarium deblaterat. Sic hoc sæculo, ut Christus in Concilio, omnium linguis vapulat Veritas, omnium sermonibus accusatur Justitia, omnium ore condemnatur Innocentia. Imò non satis est Innocentiam traduce-re fictis calumniis, impetere amarulentis verbis; verba enim, ut facilè ex ore evolant, ita facilius memoriâ excidunt; sed ne falsa testimonia obliterentur, ut etiam posteritati tradantur, stylo cam-punguat, ne vetustas temporis expungat. Hinc tot probrosi contra Veritatem, & Innocentiam libelli; in quibus nihil est verius, quàm Veritatem mendacii

Christi
ad falsa
testimo-
nia si-
lentium

Bonæ
consci-
entiæ
testimo-
nium,
certum
contra
calum-
nias præ-
sidium.
2. Cor. 1.
12.

Ambr. in
Psal. 118.
serm. 20.

Matt. 12.
3.

I. Jo. 2.

Pf. 10.
14.

mendacii accusari, nihil infamius ipso auctore, qui ut infamiam declinet, vel nomen subtercet, vel fictitium supponit. Sed inter omnes calumnias, ac dicteria, quæ illi de trivio dicaculi rabulæ effutiant, una est summa gloria Innocentiæ, testimonium bonæ conscientie. Si illa cum Christo silet, non alio indiges causidico, vel causæ tuæ patrono. Accusent falsi testes, acuant suum stylum, calumniatores ad ravim usque vociferentur; denigrent obrectatores famam, traducant nomen, exonerent plaustra convitiatorum, frendent præ iracundia; ringantur præ invidia; sile quisquis es innocens; ne hisce quidem: patienter audi, constanter sustine, & tacito corde tecum Paulinis verbis gloriare: *Gloria nostra hac est, testimonium conscientie nostræ.* Nullum potentius contra omnia, & malevolorum odia, & maledicorum convitia patrociniū, quàm linguæ silentium, & conscientie testimonium. Hoc est quod ait D. Ambrosius, loquens de Christo non loquente: *Interrogatus tacebat: ostendens non in clamore vocis, nec in forensis assertionis patrociniū, sed in conscientie integritate esse innocentie defensionem.* Ego quidem silentii patrociniū me committerem, si possem, quæ non falsi, sed veri testes, contra me dicunt testimonia, tacendo refellere: sed si accusatus siluerō, ipso me silentio condemnabo. Si autem loquar, cum ex abundantia cordis os loquatur, & cor meum abundet malitia, quidquid loquar, magis erit ad condemnationem mei, quàm absolutionem. Silebo ego, & tamen filendo etiam sperabo, quia advocatum habeo apud Patrem Iesum Christum: qui si ego sim orphanus, orphano erit ipse adiutor: si pauper, ipsi derelictus est pauper; si peccator, ipse peccatores recipit. Dicam ergo ego mul-

torum scelerum reus, cum Propheta: *A, a, a, Domine, puer sum, nescio loqui*; loquere tu Domine pro me coram Patre; es enim verbum Patris, & scio quia pro reverentia tua exaudieris à Patre.

Jer. I. 6.

§. III.

Caiphas adjurat Christum ut se manifestet.

Hactenus Christus fictas contra se calumnias, patienter audiendo, & constanter silendo refutaverat: cum summus Pontifex impatiens tam pertinacis silentii, voluit ex ipsiusmet verbis scire, essetne Verbum Patris. Quare omissis verborum ambagibus, unica, sed decretoria totius controversiæ interrogatione illum aggreditur, à qua summa rei dependeret, dicens:

Adjuro te per DEVM vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius DEI benedicti.

*Matt. 26.
63.*

Maximi momenti, & summi erat ponderis hæc interrogatio, & quidem ab eo proposita, qui erat in Synagoga Mystagogus, à summo Pontifice. Quamobrem ad ejus responsum erant omnes suspensi; in cælo Pater æternus cum omnibus Angelis: in orco Lucifer cum omnibus dæmonibus: in terra summus Pontifex cum omnibus hominibus. Cum ergò quietum silentium contineret omnia, & in medio Concilii staret *Mediator DEI & hominum*, ipse, non nescius suum silentium fore totius universi exitium, *aperiens os suum*, ut omnibus aperiret veritatem, *eructavit cor ejus verbum bonum*, quo propulsaret ab homine omne malum. Nam interrogatus à summo Pontifice, essetne Filius DEI, dicit illi: *Tu dixisti*. Quod perinde est, ac si diceret: Ego sum. Verè Sapiens sapienter: *Tempus tacendi & tempus loquendi*. Paulò ante accessere falsi testes, calumniabantur illi, cri-

1. Tim. 2.

5.

Matt. 5. 1

Pf. 44. 2.

Eccl. 3. 7.

Psal. 37.
14.

minabantur, false accusabant: erat tempus tacendi: agebatur de propria causa. ideo JESUS tacebat & nihil respondit: sicut murus non aperiens os suum. Interrogatur, sitne Filius DEI, adjuratur ut respondeat. erat Tempus loquendi: quia hic agebatur causa Patris, & hominis. Confessus est, & non negavit: confessus est, se esse Filium DEI, & sic confessus est, ut binis oculis totum exhilararet cœlum, terreret orcum, animaret mundum. Confessus est, & sic confessus est ut homo, qui per peccatum perdidit vitam, incurrerat mortem, jam possit

Psal. 117.
17.

dicere: *Non moriar, sed vivam.* Jam omnis animo proscribatur timor, nullus sit in orbe locus desperationi: accede Spes, erige te, quæ hætenus jacuisti. Hucusq; jacens in piscina, ut infirmus

Ioan. 5.

ille Evangelicus, clamabam: *Hominem non habeo jam inveni qui salvare & vult, quia homo; & potest, quia DEUS.* Quid adhuc dubitem, ubi salvandi me & adest voluntas, & non deest potestas.

Spes nostra tota est Christus.

Hic ergo iam exeram omnes vires spei. In solo Christo Jesu Filio DEI benedicti, in eius immensis meritis, in eius sacrosancta morte colloco omnem meam fiduciam: ibi fixæ sunt omnes spes meæ: inde animos sumo, & erigor: hic derideo omnes hostes meos, & illos ultrò laceffens, ma-

Psal. 28. 3.

scula voce dico: *Si consistant adversum me castra,*

Ephes. 1.

non timebit cor meum. Quia inde sumo scutum Fidei, galeam iustitiæ, gladium Verbi DEI: omnia arma

17.

Psal. 17.

lucis, quibus debellem Principes tenebrarum,

38.

& miniter eis *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes*

Matt. 18.

meos. Fateor, debeo divinæ Justitiæ plus quam

24.

decem millia talenta: non ideo tamen despero, qui ex Christi meritis sumo pretium, unde solvam debi-

debitum. Non diffiteor, æger sum, & tam æger, ut à planta pedis usque ad verticem capitis non sit in me sanitas: sed tamen sanabor, quia spero in JESU, de quo virtus exibat, & sanabat omnes. Scio peccator sum, & in peccatis natus sum totus: nec tamen ideò timeo, quia spero in JESU; ipse peccatores recipit. O quantam irrogat Christo iniuriam, qui desperat eius gratiam. Dignus est omni miseria, qui de JESU diffidit Misericordia. Quomodo qui sic amat, quos amat, deseret? quomodo, quos tanti æstimat, perdet? unica ergo spes Christiani, sit passio Domini nostri JESU Christi. Quidni in te sperem, qui fuisti spes mea ab uberibus matris mee. Ideò in te spero, quia tu es Filius DEI benedicti: & ideò credo te esse Filium DEI, quia tu dixisti. Da, ut qui te credo talem esse, qualem ipse dixisti, nimirum Filium DEI benedicti, sim ex iis, qui aliquando ex te audient: Venite benedicti.

Isa. I. 61

LUC. 6.

19.

LUC. 15. 2

Ps. 21. 19

§. IV.

Caiphas scindit vestimenta sua, & Christum arguit blasphemie.

Vix æterna veritas ex ipso veritatis suggestu protulerat verissimum oraculum, se nimirum esse Filium DEI, cum ecce Princeps Sacerdotum, hoc est Alpha nebulonum, perstrictus quasi maiestate illius effati, scindit vestimenta sua. (Scriptum est, ò Caipha: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra) dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Quid ais Caipha: Blasphemavit? Imò nemo unquam ab orbe condito atrocius blasphemavit, quam tu Caipha, tua illa tam execranda lingua, qua Filium DEI in simulas blasphemie in DEUM. quantum sit malum excæcatio mentis, & indura-

Matt. 26.

63.

Joel. 2.

13.

rio cordis, patet ex hisce quæ audistis Caipha
 verbis. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta
 sua dicens: blasphemavit.* Ponderate illam summi
 ponderis voculam, *Tunc*. Quando? *Tunc*, cum di-
 xisset Christus se esse Filium DEI. *Tunc*, cum de-
 buissent, quotquot erant in Concilio præsentem,
 procidentes adorare eum maximo cultu latriæ,
 tanquam verum Filium DEI: cum debuissent
 prosterni supplices ante ejus pedes, delicti veni-
 am petere, excutere statim de manibus ejus vin-
 cula, & funes, quanta possent maxima afficere
 reverentia, cultu, honore, inflammari instar Se-
 raphinorum ejus amore. *Tunc*, cum debuisset
 Princeps Sacerdotum mittere per totam Judæ-
 am præconem, qui omnibus annuntiaret, venisse
 tandem illum tam diu expectatum Messiam,
 illum à suis præfiguratum Patriarchis, prænun-
 tium Prophetis, expectatum per tot sæcula, à to-
 to mundo: Redemptorem mundi jam esse in
 mundo, in Judæa, in Jerusalem, in ipso Conci-
 lio ad stare præsentem; *Tunc*, quando tota Ju-
 dæa excita sedibus suis debuisset ad eum accu-
 rere. Hæc omnia cum Judæos facere oportuis-
 set, quid fecerunt? Qui inter illos erat primus,
 Caiphas, *scidit vestimenta sua*: indignum nimirum
 se probans vestibus illis, quas lacerat. Dilorica-
 tus detegit cariosæ conscientiæ cicatrices: in-
 stare sacerdotio suo finem prophetavit, ante
 cum nesciret, quid faceret: apertius nunc, cum
 blasphemiam nec sciret, quid diceret, dicens: *Blasphemavit.* Et
 enorme crimen. adhuc aliquis magni faciat censuram homi-
 num, quorum judicio, ne rectè quidem locutus
 est DEUS? vix ullum censetur enormius inter
 homines flagitium, quam blasphemiam in DE-
 UM. Audi D. Chrysostrum contra hoc viti-
 um,

um, quotquot habet reconditos aculeos exerentem. Vnam vos omnes petere volo retributionem pro concione hac: ut in civitate blasphemantes castigeris: & si quempiam in foro blasphemantem audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oporteat, ne recuses: ipsius faciem a lapa percutere, contere os ipsius: percussione manuum tuam sanctifica: & si ulli accusaverint, & si in carcerem traxerint, sequere: & si iudex poenas pro tribunali reproposcerit, dic cum libertate, quod Angelorum Regem blasphemavit. Si enim Reges terrae blasphemantes puniri oportet, multo magis, illum contumelia afficientes. Ecce quanti aestimet Chrysostomus crimen blasphemiae, & illius tamen accusatur Rex gloriae. Fateor Christe, dum dixisti te esse Filium DEI benedicti, bene dixisti, & licet de te ipso testimonium dedisti, scio, quia verum est testimonium tuum; hinc omne meum gaudium. Non tantum maxima, sed unica causa omnis meae laetitiae, & gaudii haec est; quia tu JESU ES DEUS, & quia es DEUS meus, & quia solus es DEUS, & quia fuisti semper DEUS, & quia semper eris DEUS, & quia non potes non esse DEUS. DEUS totus benignus, totus bonus, totus misericors, vel potius tota benignitas, tota bonitas, tota misericordia, totus Amor, amor mei amoris, vita vitae meae, omne bonum boni mei. Quid ergo superest, ut evadam omne malum, & consequar omne bonum, nisi ut offeram tibi summo Bono, omnia mea bona, & consecrem uni tibi quidquid habeo, quidquid scio, quidquid sum, quidquid possum?

Chryso-
stom. I.
Hom. ad
popul.

Declaratur à Concilio reus mortis.

Christum de immuni accusaverat scelere, videlicet de blasphemia, scelerum omnium architectus Caiphas, cum ecce quasi jam fuisset reus criminis, quærit, qua pœna dignum censeant, dicens: *Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.*

Christus
omniū
sententia
reus
est mor-
tis.

Nunquam æquiores sententiam in reum protulit è suo tribunali ullus Judex, quam Caiphas hic in Christum; tametsi veritatis ignoraret sacramentum. Quid, inquires: hæccine est æqua sententia, Filius DEI reus est mortis? Si dubitatis, audite parabolam. Erat homo quidam, reus læsæ Maiestatis, & ideo coniectus in vincula: lata est in eum à Rege mortis sententia; & iam ad ferale mortis theatrum reus trahebatur à lictoribus trucidandus. Intellexit hoc filius Regis, & misericordia motus, accurrit ad patrem, deprecatus est mortem rei: exauditus est à Patre propter reverentiam; sed hac conditione, ut si reum solvat, & morte absolvat, ipse mortem subeat. Placuit filio patris conditio; quia placuerat reus in oculis eius: solvit vincitum catenis, dimisit è carcere captivum, reum mortis donavit vitâ. Jam primum vos interrogo, qui sedetis pro tribunali Iudices, æquitatis arbitri, Jurisperiti: Audistis historiam de homine isto; quid vobis videtur? Reus est mortis. Sed quia omnis homo est mendax, & diminuta sunt veritates à filiis hominum: accedamus ad illos, qui proximi sunt Spiritui Veritatis, qui docet omnem veritatem, ad Angelos. Quid vobis videtur? Reus est mortis. Sed ut certius constet de æquitate hujus sententiæ, adeamus thro-

Pf. 11. 2.

Ioan. 16.

13.

thronum illius Judicis, à quo non datur appella-
 tio ad alium: illius, de quo scriptum est: *Principi-*
um verborum tuorum, Veritas. O Pater æternè, ser-
 mo tuus veritas est: dic nobis, quid tibi videtur de
 homine isto? Reus est mortis. *Obsecro, ne irasca-*
ris Domine, si loquar adhuc semel: & interrogem fi-
lium tuum, ut proferat & ipse iudicium. Magi-
ster, scimus, quia verax es, & viam DEI in veritate do-
ces, & non est tibi cura de aliquo, nec respicis personam
hominum. Dic ergo nobis, de viro isto, quid tibi vide-
atur? Vivit Dominus, Pater meus, quoniam filius mor-
tis est vir qui fecit hoc. Rectè iudicasti: de ore tuo te iudi-
co. Tu es vir iste. Ah Fili DEI, filius mortis es tu!
 Dixerat Pater tuus, & te consentiente: De ligno
 scientiæ boni & mali, ne comedas; in quocunq; enim die
 comederis ex eo, morte morieris. Vidi quod bonum esset
 lignum ad vescendum, & tuli de fructu illius, & comedi,
 & ecce morior. Jam morte turpissima condem-
 natus, vinctus eram, & solvisti: in carcere, & libe-
 rastitutus, & absolvisti. Quare, tu nunc reus es
 mortis. Clamant hoc homines, iudicant Angeli,
 asserit Pater tuus, tu ipse confessus es, & non ne-
 gasti; reus es mortis. Vade vita mea, morere, quia
 expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non
 tota gens pereat. Sic Filius DEI reus est mortis, quia
 voluit esse instaurator vitæ; fecit illum reum
 non crimen, sed amor. Nemo hominum fuit, est,
 vel erit, in quem non inspiravit spiraculum vitæ;
 & ille reus est mortis; O peccator! vir mortis es
 tu, quia tu DEUM fecisti reum mortis. Om-
 nia membra, & ossa corporis tui, si possent hu-
 mana voce resonare, non aliud quàm quod Judæi
 illi clamarent: *Reus est mortis.* Imo verò, sol ipse
 qui te illuminat, terra quæ sustinet, ignis qui cale-
 facit, aqua quæ te abluit, aër qui te refrigerat, ele-

Psal. 118

160.

Ioan. 17.

17.

Gen. 18.

32.

Matt. 22.

16.

2. Reg. 12.

5.

Luc. 7.

44.

Luc. 19.

22.

Gen. 2.

16.

Gen. 3.

Ioan. 11.

50.

Gen. 2. 7.

Creatura

omnia

clamant

pecca-

torem

reum

mortis.

menta singula, condita omnia, si loqui possent, clamarent pariter: *Reus est mortis*. Omnia enim à DEO creata, tibi fuerunt peccanti instrumenta. Erit aliquando tempus, quo quilibet nostrum stabit coram Christo, non ut modò in Concilio Judæorum iudicando, sed iudicaturò. Tunc, si discussis totius vitæ antea actæ operibus, inveniaris in Divinæ Justitiæ trutina minus habens, si convincaris reus, dæmones omnes, & Angeli, & beati in immenso illo theatro, coram omnibus clamabunt: *Reus est mortis*. Hic ipse locus, in quo hæc audis, hoc ipsum tempus, quo audis, te accusabunt, quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Christi vincula, flagella, columnæ, spinæ, crux Christi, sudor, lachrymæ, sanguis clamabunt una voce: *Reus est mortis*. Quid superest, quàm totte accusantibus, totte condemnantibus, ut subscribat Judex tuus, & ex ore tot testimonium te condemnans, dicat & ipse sententia irrevocabili: *Reus est mortis*. O quàm acriter hic Eusebius Emisenus: *Quo animo stabis desertor ante ducem tuum? perditus ante pretium? qua fronte misericordiam petes. primum de misericordia contemptu iudicandus?* Antequam ergo reus iudiceris è tribunali Justitiæ, accede ad thronum Misericordiæ, ad sedem Sacerdotis, qui potestate à Christo accepta toties reum absolvit, quoties qui se reum accusat. Illic geme, suspira, percute pectus, effunde lachrymas, deplora tuam nequitiam, implora DEI clementiam. Hic te reum absolvet vel una lachryma quod postea non poterit vel pœnarum æternitas. Hinc bene de lachryma pœnitentis D. Laurentius Justinianus: *O lachryma humilis! tua potentia, tuum est regnum. Tribunal iudicis non vereris: non est qui te ad DEVM accedere vetet: si sola in-*

Hom. de
Symb.

Cap. 9. de
lign. vit.

tres,

tres, vacua non redibis. Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, cœlum aperis, fugas diabolum. Fateor, sum reus mortis, quia sum peccator: tu reus es mortis, quia peccatorum es Salvator. Ergo morieris tu Domine cœli, ut vivam ego vermiculus terræ? sed antequam pro me iustè reo, tu innocenter reus, mortem oppetas, ego innumerabilium criminum reus, vincētis manibus & pedibus, perfusus lachrymis, confusus pudore, contrito corde, pœnitenti animo, coram te, qui pro me in Concilio iniquitatis pronuntiatu es reus, supplex accedo, & mœstâ voce hoc mœstum carmen occino, cum Sponsa tua, Matre mea Ecclesia: *Ingemisco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce DEVS.*

§. VI.

Injuria Christo illata in domo Caipha.

S Inquam mirum fuit, non fuisse turbata elementa omnia, terrarum fabricam, cœlorum machinam, totamque rerum universitatis molem, in antiquum devoluta non fuisse chaos, tunc fuit: cum illud spectaculum in domo Caiphae exhibebatur, ad quod ipsa expallecebat Audacia, metuebat Timor, trepidabat Impudentia, horrebat Crudelitas. Quidquid potes fandi, vel nefandi ad ignominiam, & opprobrium, & ludibrium non tantum animo concipere: sed fingere, audacter cogita; minus erit, quam hic fuerit perpeffus Christus. Unde audet D. Chrysoftomus dicere, nocte illa patefacta fuisse Inferorum claustra, ipsumque Luciferum cum omnibus omnino ad unum usque dæmonibus,

fractis vinculis, ac repagulis Jerosolymam con-
volasse, ac Judæos omnes, & Romanos inva-
sisse, ac illorum corpora obsedisse, ut ita per il-
los, omne suum diu conclusum odium, invidi-
am, rabiem, iracundiam, furorem in unum
Christum effunderent. Erat itaque tunc domus
Caiphæ, facies quædam gehennæ: singuli Ju-
dæi, diaboli erant ministri: quot carnifices,
tot in humana figura dæmones. In medio illo-
rum monstrorum sedet is, qui medius est inter
Patrem & Spiritum sanctum. Illa ipsa nocte, &
tempore jacebat oscitans & stertens inter cygne-
as plumas arrogans Rex Herodes; altè dormie-
bat impius idololatra Pilatus; quiescebat in mol-
li throno profanus Sacerdos Annas, & sacrile-
gus Pontifex Caiphas: denique tot putida scor-
ta, adulteri, ebriosi, impii, barbari, DEI ho-
stes, indulgebant sopori, & quieti: solus DEI Fi-
lius, toto quiescente mundo, vigilat, vexatur,
cæditur, vellicatur, conspuitur, conspurcatur. Ille
jacet in fœdissimo specu, quasi esset teterrima
totius orbis sentina, ad quam omnes sordes, &
fæces affluere deberent. Sed quid de hisce scri-
bant Evangelistæ, audiamus. Sic paucis D. Mar-
cus:

Mar. 14.

65.

Matt. 26.

67.

*Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faci-
em ejus. Plura D. Matthæus: Tunc expuerunt in faci-
em ejus, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas
in faciem ejus dederunt dicentes: Prophetiz a nobis Chri-
ste, quis te percussit?*

Vix iniqui Judices pronuntiaverant ex folio
Iniquitatis, Auctorem vitæ, reum esse mortis.
cum eum barbari satellites ex concilio abduxe-
runt in angulum abjectissimum, in tenebrico-
sum & subterraneum antrum, quo totius domus
sordes

fordes congeriebantur. Convocarunt itaque selectissimos quosque ex tota Judæorum facie, scurras, & impudentissimos nebulones, omnes insigni odio Christi inflammatos. Ponitur hic Dominus gloriæ, velut scopus ignominie, in quem ex imis visceribus, flava, & atra phlegmata; ex manibus verbera, & colaphos; ex linguis contumelias, & blasphemias; ex corde odii & furoris spicula diaboli satellites ejaculentur. Sed quia lux mundi lucens adhuc omnibus qui in domo erant, perstringebat illos filios tenebrarum fulgore suæ majestatis, quæ in vultu emicabat, ponunt eam sub modio, dum linteo sordido, & camini fuligine obsito velant faciem ejus. O peccator! jam licet impunè peccare, jam tutò dixeris cum Susannæ senibus: *Ecce ostia pomarum clausa sunt, nemo nos videt.* Ecce oculi Domini clausi sunt: ecce facies Christi velata est, nemo nos videt. Eja Juvenis esto jam gnaviter impudens, curre per circumlicentiæ, laxa fræna impudentiæ, comede, bibe, epulare: invita tuos affeclas, & dic modò cum illis cosmophilis: *Venite: fruamur bonis quæ sunt, nemo nos videt.*

Quid metuitis caufidici? farcite crumenas, emungite pecunias, affligite viduas, opprimite pupillos, & orphanos; per fas, & nefas quascunque defendite causas iniquas: dic, quid times? *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nemo nos videt.* Agite Judices, admittite munera, corrumpite judicia, evertite leges, pervertite legum statuta: dicite impavidè: *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendicula contra insontem frustra nemo vos videt.* Erras peccator, Christus, dum velata est ei facies, est quidem Deus absconditus, sed qui videt in abscondito: imò qui & novit

Deum non videre peccata stulte sibi persuadent peccatores.

Daniel 13. 20.

Sap. 2. 6.

Ibid. 10.

Prov. I. II.

Isa. 45.

abscon- 14.

- Matt. 6.** *abscondita cordis.* Vox illa detestanda Politicorum
 6. est: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa*
Pf. 43. *cardines celi per ambulat.* Doctrina illa est Machia-
 22. velli: *Quid enim novit Dominus, & quasi per caliginem*
Iob. 24. *judicat?* Hoc sentire, est velare faciem Christi. Do-
 14. *ctrina Christianorum est: Oculi Domini contemplan-*
Ibid. *tur bonos, & malos: ut malis inferat supplicia, bonis*
Prov. 15. *conferat præmia.* Sed velatâ jam Christi facie,
 5. quasi nullus esset, qui eos videret, nihil non ce-
 perunt in eum audere. Itaque illi impudorati
 sycophantæ, jam ebrii, & tumulenti ex imis vil-
 ceribus, toto conatu educta crassa, & purulenta
 sputa, & fœculenta phlegmata conjiciunt nunc
 in frontem, nunc in genas, nunc (horresco refe-
 rens) in os illud sacrosanctum: illic admotis
 spurcissimis labris gravem spiritum exhalant, &
 crapulam eructant. Alii vellicant aures, illi per-
 cutiunt genas, isti cædunt frontem, quidam evel-
 lunt capillos, hi trudunt pedibus: quasi ideò Fi-
 lius DEI venisset in mundum, ut esset ludibrium,
 & odium totius mundi. O Pater, cur modo non
Gen. 6. 7. *audimus illa verba, Pœnitet me fecisse hominem; cur*
non modò, si unquam, tactus dolore cordis intrinse-
cus, minaris: Delebo omnem hominem, quem creavi, &
faciet terra? Sed unus, qui patiebatur, pro omnibus
 loquebatur, Christus: & cum alii in eum eructan-
 do conjicerent fœda sputa, cor Christi eructa-
 bat verba bona, dicens clamoso corde Patri vo-
 lenti delere omnem substantiam: Pater, sine
 modò, sic decet nos implere omnem justitiam,
 ut impleantur scripturæ: *Quia misericordia Domini*
Pf. 32. 5. *plena est terra.* Ita plus flectebat Patris Justitiam
 ad parcendum Christi unius patientia, quam ir-
 ritabat ad puniendum hominum omnium ma-
Christi *litia.* Sed ut rei hujus indignitatem rectè expen-
facies *datis,*

datis, ite & interrogate invictos illos Christi pu- clare vi-
 giles, qui cruces, rotas, sartagine, vincula, cata- sa, feli-
 stas, flagella, scorpiones, & tormenta prope infi- citatis
 mita, pertulere? quærite à Virginibus, quæ DEO est ver-
 tantâ contra concupiscentias luctâ illibatam pu- tex.
 dicitiam consecrârunt : sciscitami à viris reli-
 giosis, qui reliquerunt domum, & patrem & ma-
 trem, & bona omnia fortuna; hos omnes inquam
 interrogate, quid sibi jam postulent in merce-
 dem? petite & à novem Angelorum choris, à bea-
 tis mentibus, quid sibi optent ad fœlicitatem ;
 petite quin etiam à dæmonibus, quid si illis fas
 esset devovere, quid sibi vellent ad salutem, om-
 nes & in cœlo Angeli, & in terra homines, & sub
 terra dæmones, hoc unum peterent à Christo, ut
 summum suum bonum, quod petebat David :
Ostende faciem tuam. Quid tum erit; & salvi erimus. *Pf. 79. 4.*
 Satis est ad nostram salutem, videre Christi faci-
 em. Facies illa est centrum Amoris, est simula-
 crum omnis pulchritudinis, est theatrum, in quo
 quicquid est optabile, & bonum, apparet, Reli-
 qua omnia absconde; satis est si ostendas faciem
 tuam. Una est vox, quam extorquet timor: *Ne aver-* *Pf. 26. 9.*
tas faciem tuam à me. Una est vox, quam elicit
 Amor: *Ostende faciem tuam.* Tunc dicam, quod
 Philippus, cum diceret: *Domine ostende nobis Patrem,* *Ioan. 14.*
& sufficit nobis: ita ostende faciem tuam & sufficit
 mihi: quia ultra, quod velim, & optem, superest
 nihil: cum in uno habeam omnia ad salutem, &
 fœlicitatem: poteroque visâ tuâ facie meritò
 pronuntiare verba illa: *Vidi DEVM facie ad faciem,* *Gen. 32.*
& salva facta est anima mea. *20.*

Petrus Christum à longe sequitur.

EXpositurus luctuosissimū, & nullius, ne quidem ipsius Petri lachrymis satis deplorandū, dum Christum negavit, casum; præmitto illud S. *In c. 21. Luc.* Ambrosii pro præludio, oraculum: *Petrus titubatio nostra est firmitudo.* Nimirum, discemus stare firmiter instar petræ, cadente Petro: & simul intelligemus, levissimo etiam flatu, firmissimas, ac solidissimas petras, non tantum ut moveantur concuti, sed ut labantur prosterni.

Fugerant à suo Magistro discipuli, à duce milites, à Patre filii: unus cæteris omnibus, seu pro Christo audacior, seu cum Christo præfidentior, Petrus, aliis è conspectu Christi fugâ subductis, insistit trepidis plantis, Christi vestigiis, eumque quem amore prosequabatur, pedibus insequitur: piaculum ratus, ab eo fugere, qui est omnium refugium. Sed quomodo eum sequebatur? Respondet Matthæus: *Petrus autem sequebatur eum à longe.*

Rapiebat mentem ejus alterno æstu, nunc amor, nunc timor. Quantum ut iret, incitabat Amor, tantum ne iret, retardabat timor. Unde hoc luctante, illo reluctante, cœpit, qui ante exultabat ut gigas ad currendam cum Christo viam claudicare: hinc secutus est Christum à longè.

Psal. 87. 2. Hoc est quod prædixisti per Prophetam: *Longe secisti notos meos à me.* O quoties Petrus in via,

Pf. 10. 1. cum ad illum tenderet, qui est via, seq; ab eo longè videret, repetebat illa verba: *Vt quid Domine recessisti longe? Imò ut quid tu Petre recessisti longe? cujus solebas esse stipator lateris, jam nec spectator es corporis: cujus solebas audire vocem, jam nec intueris faciem. O Petre time: longe enim es à salu-*

à salute dum longè es à Salvatore. Jam exitio es A Christo esse
 proximus, dum vel adjectum lapidis ab illo es sto esse
 avulsus. Scio invidium illum in fimo Athletam remo-
 Jobum, aulum quemcunque ad pugnam laceffe- tum, est
 re hostem; sed juxta DEUM, non longè à DEO! Au- exitio
 di loquentem: *Pone me juxta te, & cujusvis manus esse*
pugnet contra me. Juxta Christum nullius, licet for- propin-
 tissimi, timenda est manus; longè à Christo cujus- quum.
 vis, licet infirmissimi, timenda est vel lingua. Jux- *Job. 17. 3.*
 ta Christum stabis, licet in te impressionem faci-
 at armata militum caterva; longè à Christo cades,
 si tecum congregiatur vel inermis ancilla. Juxta
 Christum nulla te prosterneat, quantumvis valida
 machina; longè à Christo prosterneat te vel unius
 raucæ mulierculæ vocula. In horto, quia eras
 iuxta Christum, quidlibet audebas; minacem
 militum globum adeò non fugiebas, ut penè
 macharâ tuâ fugares. Fulmineum ensem vibra-
 bas in densos armatorum cuneos, promptus vel
 ob Christum capi, vel pro Christo mori. At lon-
 gè à Christo, quomodo torpes, ut palles, ut tre-
 mis, ut sanguis tibi prope congelatur? ut solli-
 citus undique pavidos oculos circumfers; Tan-
 ti refert, esse vel iuxta Christum, vel longè à
 Christo. Quid enim acerbius, quàm longè esse
 ab eo, qui non longè est ab unoquoque nostrum?
 in quo movemur, vivimus, & sumus? Si in te,
 & ex te, & per te sumus, quid superest quam
 ut nihil sumus, dum à te longè absumus; Confu-
 giebat ergo Petrus ad suam petram: *petra autem* *1. Cor. 10.*
erat Christus, ut in ea firmiter staret, qui ab ea re- 4.
 motus cœperat nutare. Sed Petre, nonne vides te,
 dum curris ad domum Caiphæ, incurrere pericu-
 lum perfidiæ? non times has tenebras, tam den-
 sas? non vereris noctem adeò cæcam; de qua tibi
 prædixit

Ps. 144.

14.

Psal. 36.

24.

Eccl. 4.

10.

Petri
dolor
ob suam
à Chri-
sto fu-
gam.

prædixit Magister: *In hac nocte ter me negabis?* hac nocte; jam nox in suo cursu medium habet iter, instat ergo cadendi periculum. Sed perinde est, fatius est Magistrum sequendo negare, quam fugiendo confiteri. Assentior tibi Petre: si enim lubet cadere, nusquam felicius caditur, quam coram illo *qui erigit omnes elisos*, quia qui coram Jesu ceciderit, *non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Quare qui stat, non tam caveat ne cadat, quam videat ubi cadat. Si longè à Christo solus ceciderit, tunc *va soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se*. Sed coram Christo cadere, penè est stare. Petrus ergo plus confidens Christi pietati, qua sperabat se post casum erigendum, quam diffidens suæ infirmitati, qua timebat Christum à se negandum, carpit iter versus domum Caiphæ, multa secum animo volvens. Sic enim ipse secum: Ah quid egimus? quod egisse me pudet, & pœnitet. Fugimus, prò dedecus? & fugimus tunc, cum adesse illi maxime oportuit? prò scelus! poteritne Petrus esse sine Jesu, esto, Jesus possit esse sine Petro? vah pudor! ausus fuerit Christum prodere Judas, nec ausus fuerit Christum defendere Petrus? nescio cujus majus est scelus: Judas Christum prodiit; Petrus deseruit. Quo nunc ibo remotus ab illo, qui est via? Undique circumfero oculos, & oculis nusquam occurrit Jesus. Clamo, & nusquam Jesus auditur. Eo, redeo, circumeo, & nusquam Jesus. Unum est mihi in hac solitudine, & mœrore perfugium, ille à quo fugi, Christus. Ibo ergo, certus vel pro Christo mori, vel cum Christo vivere. Properat Petrus gradum urgente amore, ingreditur atrium Pontificis, tanquam are-

nam

nam sui certaminis. In quo turpissimè cecidit. dū Christum tertio se nosse impudenter negavit : quo uti Joab, tribus lanceis cor Absalonis, ita ipse cor Redemptoris transfodit: triumphantibus de tam probroso casu trinis ejus hostibus, Carne, Mundo, Dæmone, quorum alter ad negandum, alter ad jurandum, postremus ad pejerandum timidè magis, quàm perfidè, compulerunt. O quantum, uti Petro, sic cuilibet homini nocet, longè esse à Christo! Quis non est miser longè à misericordia? quis non est frigidus, longè ab igne? quis non est infirmus longè à medico? Quisquis hic ades in templo, nullus dubito, Christum diligis, quia es coram dilecto, & inter diligentes Christum: sed si modo esses longè à Christo, & Christi amantibus: si hâc inquam horâ fores cum epulonibus, esses lurco: si cum ebriosis, esses hel-luo: si cum spurcis, esses leno: si cum impudicis, esses ganeo, si cum dicaculis, esses blatero. Tanti refert adesse, vel abesse à Christo amante, vel Christi amantibus, ut Christum neges, vel ames.

§. VIII.

Petrus Christum negat.

SEquitur jam turpissimus Petri casus, qui fuit magnas pro Christo luctus, maximus pro dæmonibus plausus. Petrum, timorem inter & amorem fluctuantem, & secum pugnantem muliercula compellat, urgent satellites, invitant milites; ita enim Evangelistæ: *Petrus verò sedebat foris in atrio deorsum: & accessit ad illum una ancilla ostiaria summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum sedentem ad lumen & calefacientem se, dixit: Et hic cum illo erat; & aspiciens illum ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Numquid & tu ex discipulis es hominū istius? At ille negavit*

Matt. 26.

69.

Mar. 14.

66.

Luc. 22.

56.

coram omnibus dicens: Non sum; mulier non novi illum, neque scio, neque novi quid dicas.

Obstupescite cœli super hoc: jacet ecce prostratus cœli ostiarius, ab ancilla ostiaria. Quis crederet potuisse fieri, nisi fides assereret esse factum? & tanti dux fœmina facti. Jam non miror in domo Caiphæ tot scelera sceleribus accumulari, omnia permisceri, jura humana ac divina confundi, sacra profanari, Christum à discipulo negari, ministro Pontificis cædi, à militibus sputis conspurcari: non miror hic vitam ad mortem condemnari, Sapientiam irrideri, Justitiam accusari, Innocentiam castigari: quid mirum tot crimina committi in illa domo? Præerat illi ancilla ostiaria. Sis licet multorum dominus, cave ab ancilla. Ad pauca verba ancillæ concussa tremuit solidissima petra, quomodo tu stabis fœnum, & stipula? Unius mulierculæ raucâ voculâ prostrata jacet cedrus Libani, quomodo tu perstabis arundo, in die tribuum venti? ut stantes paveant omnes, satis est cecidisse unum: manet enim causa timendi, possit cadere quid, ubi tot, & tales & toties ceciderunt. Malè Adamum induxit Eva, male Petrum introduxit ancilla. Illa, persuasione sua virum decepit hæc, Apostolum interrogatione suâ circumscripta, illa ad prævaricandum Adam impulit; hæc Petrum compulit ad negandum. Ubi cunq; ostiaria est ancilla, aut excludit à vita, aut includit à morte, *Ejice ergo ancillam.* Ancillam dominari à dominam ancillari, magna est abusio. Si præsit fœribus sensuum tuorum, ancilla concupiscentia cave ne fiat domina animæ, ancilla januæ, hoc docebit casus luctuosissimus Petri. Non fuit Petrus ab armato militum globo ductus ad concilium Judæorum; non ad tribunal Pilati, non ad a-

fœmina
civis
pericu-
losa.

Ad Gal.
4.30.

lam Herodis. Nemo illi mortem intentabat: non fuit in equuleo interrogatus: non fuerant ei proposita vincula, rotæ, catastæ, scorpiones. Sed ancilla una, an Christum nosset, Petrum rogat. Petrus negat. Plus stupeo prostratum Principem Apostolorum Petrum ab hac ancilla, quam matatum Principem Assyriorum Holofernem à Juditha: illa prostravit dormientem, & ebrium; hæc vigilantem & sobrium: illa, toties lacertis ictum vibravit in cervicem; hæc pauca verba emisit in aures: illa facinus illud confecit macharâ; hæc verò duntaxat linguâ. Quidni igitur majori cum stupore exclamem quam Vagao, qui cum videret Holofernem in sanguine suo volutatum, *exiit foras, & dixit: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor: Ecce enim Holofernes jacet in terra, & caput non est in illo.* Appositè magis id ipsum dixero de Petro: Una mulier Hebræa, una ancilla ostiaria, confusionem fecit in domo Christi: Ecce enim Petrus jacet in terra, & caput non est in illo. Rectè, quia teste Paulo, *omnis viri caput, Christus est.* Si Christus caput est Petri, jam Petrus Christum negavit: ergo caput ejus non est in illo. O mulier! tu quidem, teste Scripturâ, *facta es viro in adjutorium;* sed ut video, facta es Petro in exitium. Quid juvenis gloriaris insolenter tuis viribus, robore, nervis, lacertis? cave, ut sternaris in solum, ut è manu tibi extorqueatur, sis licet Hercules, cave, ut exuaris armis, ut cervici tuæ imponatur jugum, ut tanquam vinctus summo cum dedecore ducaris in triumphum; non opus est prætoriam cohortem, equitumq; turmam, non cataphracto milite, non invicto bellatore, non lacertoso athleta: satis est una mulier: exemplo est fortissimus Samson.

Jud. 14.

15. & 16.

I. Cor. II.

3.

Gen. 2.

18.

Fœmina

omni-

bus ti-

menda.

son. quid tu vir cate, & literate jactas te in Academia, quod sis inter togatos proceres, quod gestes in humero epomidem; quod sis exquisitæ scientiæ, raræ doctrinæ, alti consilii, eximiæ prudentiæ, incredibilis sapientiæ? time; ut illa tua gloria iniquetur macula, ut eripiatur tibi omne consilium, mens, ratio; ut intellectus tui acies obtundatur, ut fias ex sapientissimo vecors, furiosus, mente captus, ac tragico illo Oreste amentior, & tam insipiens, ut dicas *in corde tuo: Non est DEVS*. Non opus est, qui te Philippicis exagitet, Tullio: qui te solidis argumentis convincat, Aristotele; qui te cornutis enthymematis confundat, Porphyrio: satis est una mulier. Docuit nos sapientissimus Salomon. Et tu Clerice, tu homo DEO Sacerdotii gradu consecrate, quid ita confidis tuis virtutibus, meritis, gratiæ, vitæ probitati, morum integritati, jejniis, lachrymis, precibus, plurimisque per annos plurimos DEO exhibitis obsequiis: ut excidas gratiâ DEI; ut amittas jus ad regnum cœli; ut facias omnium meritorum jacturam; ut tui cœli, DEI obliviscaris; ut exuaris fide, spe, charitate, virtutibus omnibus naturalibus, supernaturalibus, infusis, acquisitis; non opus est vasro aliquo ex orco spiritu, qui te impetat, nec tentatore Satanâ, qui te largis afficiat promissis, ostendensque omnia regna mundi, dicas: *Hæc omnia tibi dabo*: non opus est qui ultima minetur supplicia tyranno: satis est una mulier, Patet in sanctissimo Davide. Itaque *mulier una fecit confusionem in Paradiso*, confusionem in domo David, in regno Salomonis, & quod caput est, in collegio Christi. Horres confusionem? horre mulierem. Ne me aliqua decipiat mulier, Tu Fili Virginis, illi me committe mulieri, cui è cruce dixisti moriens:

Psal. 13, 1.

Matth. 4.
9.

riens: *Mulier ecce Filius tuus.* Cum illa una mulier fuerit benedicta inter mulieres, benedicat & mihi propter illam, quæ benefecit tibi. Pone me juxta hanc mulierem, & cujusvis mulieris manus pugnet contra me. Prostraverit Petrum ancilla ostiaria, prostratum eriget illa, quæ est ancilla Domini. Quod si illo me honore digneris, ut sim filius hujus ancillæ tuæ, tunc lætus modulabor hoc sacrum cum sacro Vate carmen: *O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: plenusque spe ac fiducia, te urgebo cum eodem: Salvum fac filiam ancillæ tuæ.*

Ioan. 19.
26.

Psal. 115.
16.
Psal. 86.
16.

§. IX.

Iterum negat Petrus.

JAm semel ceciderat Petrus, & adhuc stare se putabat; quare & in negando perstitit. Stabat, sed *in via peccatorum*: sive quod ejusdem est criminis, sedebat in cathedra pestilentiæ; reus perfidiæ; jam magister erroris, qui fuerat discipulus Veritatis. Igitur cum jam refrigescente charitate, ad ignem se calefaceret, dixerunt ei: *Nanquid & tu ex discipulis ejus es?* *Iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem.* *Recte mentitus es in caput tuum.* Arguis te mendacii, dum asseris, te non nosse magistrum Veritatis. Quæso vos, ut hic animum attendatis, & faciam ut omnibus sit in confesso, quibus gradibus homo descendat ad ultimam impietatis lineam; ut cum Petro Christum primum neget, deinde abneget. Priusquam negetur Christus, qui est magister omnium virtutum, abnegantur omnes virtutes. Ingreditur pudicus adolescens palestram alicujus Academiæ, ut Petrus domum Caiphæ: accedit ancilla ostiaria, vel culinaria, vel penuraria, blanditur verbis, lenocinatur oculis, assen-

Psal. 1.
101.

Daniel. 13
15.

Virtutes
omnes
prius
abnegā-
tur quā
Christus

tatur gestibus: statim ad ejus vocem, ad ejus aspectum, negat castimoniam, abnegat pudicitiam. Quomodo? non nosti pudicitiam? Est illa, de qua tu olim puer in scholis tam magnificè loquebaris: *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quasi sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* At ille negat, usurpans illa verba Petri. Neque scio, neq; novi quid dicas. Abnegatâ jam Pudicitia, & admissâ luxuriâ, confert se ad domum Convivii; illic inter edaces lurcones, & bibacelluones, studet calicibus epotandis, & sic abnegat temperantiam. Sobrietas ne quidem de facie ipsi est amplius nota. Quid? nunquid paulò antè prius quàm pedem intuleras in Academiam, & Temperantiæ regulas observares, dixeras cur Salomone: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vi-*

Eccle. 2. 1. carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitare meq; stultitiam? Hic iterum reponit illud Petri: non scio, neque novi quid dicas. Abnegat sobrietatem, & Temperantiam. Progreditur ad alia vitia, dum versatur inter procaces, & salaces, & impudentes, & effrontes socios; jam illud unius tantum pudet, non esse impudentem. Itaque abnegat Modestiam, & Verecundiam. Nullus amplius est in fronte pudor, nullus ingenuus in genis rubor, nulla in animo verecundia, nulla in corpore modestia. Sic ab Advocato a tinnitum auri abnegatur. Equitas: à Judice, à oblata munera, abnegatur justitia: ab iracundo ad conspectum inimici, abnegatur mansuetudo: ab avaro, ad spem pecuniæ, abnegatur misericordia. Sic abnegatis, & repudiatis omnibus virtutibus, traditur homo omnibus vitiis & sceleribus, donec tandem inveteratus dierum malorum, repente sistatur tribunali Dei judicandus. Tunc accedat

cedet ostiaria cœli, divina Justitia, cum virtutum,
 quæ illam stipant, comitatu: & cum nullus possit
 videre Deum nisi mundo corde, adducetur Casti-
 tas, ut videat an eum noverit. Illa nihil in eo vi-
 dens mundi, nihil non observans immundi, dicet
 quod Petrus: *Nescio hominem istum.* Cum nullus
 possit esse beatus nisi mitis, adducetur Mansuetu-
 do, & illa dicet: *Nescio hominem istum.* Hoc repo-
 nent virtutes singulæ. Itaq; claudetur illis janua
 cœli; & clamantibus, *Domine, Domine, aperi nobis:* Matt. 25.
 non aliud audient totâ æternitate à Divina Justi-
 tia, nisi illud Evangelicum, *Nescio vos, quid dicam?*
Iustus es Domine, & rectum judicium tuum. Juste à te Psal. 118.
 deseritur, qui prius te deseruit: Justè eum abne- 137.
 gas, qui prius te abnegavit. Quare ne minacem il-
 lam tuam ex ore tuo percipiam sententiam: *Qui*
negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum co- Matt. 10
ram Patre meo. Non te negabo, sed me ipsum ab- 33.
 negabo, uti præcipis: *Qui vult venire post me, abneget* Matt. 16.
semetipsum. 24.

§. X.

Tertiò negat eum juramento.

Spectavimus non minùs triste quàm acre in
 corde Petri, velut de arena, Amorem inter &
 Timorem certamen. Timor in hoc certamine
 Amorem prostravit, dum eum, qui est fons Amo-
 ris, se nosse, Petrus negavit. Rem acu tetigit Mat-
 thæus, dum hæc de Petro scripsit: *Petrus verò sedebat* Matt. 27.
foris in atrio. Petrus erat foris, Christus erat intus.
 Hinc non Charitas foras misit Timorem, sed Ti-
 mor foras misit Charitatem: quia Petrus non
 erat intus cum Christo, sed foris cum militibus:
 inde Petro (ut utar verbis Pauli) erant *foris pugna,* 1. Cor. 7. 5
intus timores. Itaque timoribus undiq; circumse-

ptus, tituabat illi lingua, tremebant membra, palpitabat, cor, nec ipse quidem qui loquebatur, quid loqueretur, satis intelligebat. Deinde omni ex parte inquietus, loca vitæ, ac conscientia sue infesta deserturus, *exijt foras ante atrium*. Ibat, stabat, redibat, homo Euripo similis, & arundini vento agitata. Metus unus Petrum abire, metus alius Petrum redire cogebat: ille, ne ibi aut interiret, aut gravius delinquere: hic ne fugâ, aut solitudine servis fieret suspectior, quare itq; reditque viam toties. Interim tot inter animi tumultus plus quam Gallicos, gallus cantavit. Surge Petre, qui dormis, & exurge: gallicinium est. Sed Petrus præ nimia perplexitate gallum canentem non observavit. Frustra ergo gallus canebat, quia surdo canebat. Tandem canente gallo, quasi signo dato, ventum jam erat ad triantos; aggrediuntur eum Pontificis satellites, decretoriis illum interrogationibus urgent, terrent, minantur, dicentes: *Vere & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit*. Ecce Petre, argumento claro convinceris; omnes Christi discipuli Galilæi sunt, te Galilæum esse loquela manifestum facit. Ergo es ejus discipulus. Hic demum fuit fluctus decumanus, quo Petrus mergebatur, hic fuit ictus decretorius, quo jugulabatur. Angustia illi erant undique. Videbat enim ubique periculum, nullamquam effugium. Videns ergo se convictum testimoniis, se ex loquela manifestum, jam verbis se detectum Galilæum; hic secum cogitare: *Actum est de cute, imò capite meo: occisissimus mortalium sum: perii nisi me gnauiter mentiendo probem impudentem: si consequenter mentiendo persevera vero usque ad finem, fors saluus ero. Perstabo igitur in gradu, nec ad latum un-*
guem

quem ab eo discedam: ut servetur vita, tertio negetur auctor vitæ; Tanti est vivere. Ipse ergo tot convictus argumentis, vim vi, qua potuit, repulit: fortius appetitus, fortius restitit: & jam Petrus induratus ut petra, persistit in negando, mendacia mendaciis accumulatur, jusjurandum interponit, Deum in testem detestandi sui criminis vocat, mille diris se devovet. Convocatis ergo omnibus ingenii, & audaciæ viribus, *cœpit detestari, & anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem vos dicitis.* O Petre, quomodo jam vives, qui negas te nosse eum qui est vita? quæ tibi spes salutis, qui abnegasti Salvatorem? quo cures ovis perdita, relicto bono pastore? Si non noveris hominem istum, jam verè dicere potes, cum illo Probaticæ piscinæ infirmo, *Hominem non habeo.* Quis cadentem eriget nisi Jesus, *qui erigit omnes elisos?* quis cæcum illuminabit nisi Jesus, per quem *cæci vident?* quis mortuum suscitabit, nisi Jesus, per quem *mortui resurgunt?* Et ecce non nosti Jesum. quis tunc fuerit plausus inter dæmones, quis triumphus in Tartaro quantus fuerit & dolor Christi, facilius est vobis expendere, quàm mihi exponere. Nescio magis nè admiremini Petrum, an detestemini crimen Petri. Sed parcite Petro, aliam hic vobis suggeram & admirandi, & detestandi materiam. Quiquamne ex hoc cœtu est tam præfidens, qui ausit dicere: se illius sceleris esse purum, cujus Petrum convicimus esse reum? credo à nemine in hac corona præsentem, fuisse prolata illam vocem Petri, dum de Christo rogatus, dixit: *Non novi hominem istum.* Sed non lingua sola edit vocem, etiam tacita opera loquuntur. Sicut enim, teste Scriptura, *Vox sanguinis clamat*, sic & vox operis clamore resonat.

Ioan. 5.

7.

Ps. 144.

14.

Matt. II.

15.

Christum
varii
variis
modis
negant.

Gen. 4. 15

Matt. 15. Dixit licet sæpius lingua cum Petro, de Christo: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Opera tamen clamant cum eodem Petro de Christo, *Non novi hominem istum.* Verè enim tu es ex illis, de quibus loquitur Paulus: *Confitentes se nosse Deum, facti autem negant.* Dum bonum aliquod amas præ illo, qui est summum bonum, negasti te nosse ejus Bonitatem. Dum politicis nixus placitis, sic vitam instituis, ac si *Deus nostra non consideraret, sed circa cardines cæli perambularet*: negasti te nosse ejus providentiam. Dum quotidie nova consciscis scelera, nec tamen puniendum te reformidas; negas te nosse ejus justitiam. Dum perfrictâ fronte, & projecta audacia peccas in conspectu ejus, quasi punire te non posset; negas te nosse ejus potentiam. Qui ergo hominem istum, qui in omni perfectione est infinitus, negas esse providum, bonum, justum, potentem, nonne verè dicis cum Petro, voce operis: *Non novi hominem istum?* Quid ais de illo, qui omnium oculis conspicuus exponitur in sacrosancta ara? Ille propter nos homines Homo factus est. Nosti hominem istum? Vide, & seriò delibera, quid te respondere, & pro religione, quam profiteris, deceat; & pro salute, quam exoptas, oporteat. Nosti hominem istum? Novi, inquires; quis est ille? Est Filius Dei vivi: est homo Deus. Credis hoc firmiter? nihil firmitus, nihil certius: sum enim vere Catholicus, & hanc fidem hausi ab ipso sacro Baptismatis fonte. Promptusne fores pro hoc articulo mori? Promptissimus & emori. Hucusque confiteris te nosse Christum. Hæc verba sunt; sed Verbum patris requirit aliquid ultra verba. Si agnoscas in ara esse DEI Filium; ô iam te sacrilegum! qui quod ore fateris, opere negas. Si enim illic est homo

In Templo
Christus
negatur
dum irre-
verenter
illic se
quis
gerit.

homo DEUS; ergo ille est, quem novem Angelo-
rum chori, sacro perfusi horrore, submissimâ
reverentiâ, faciem alis obnubentes, proni ado-
rant, & illud augustissimum trisagion iugiter
modulantur, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Si ibi sit
DEUS; ergo neminem oporteret hic adesse nisi
cum immenso quodam omnium membrorum
tremore, & artuum trepidatione, nisi toto cor-
pore in ipsum pavimenti solum prostrato, nisi
clausis oculis, coniunctis manibus, attentâ men-
te, contrito corde, inflammato animo suppli-
cum ritu. Si ibi est DEUS; ergo debetur illi omnis
ab omnibus honor, & gloria. Tu autem qui-
bus argumentis prodis tuum erga illum, cui de-
betur omnis honor, honorem? stas erecto cor-
pore, vel flectis uno poplite, vel insides scamno:
lenocinarius emissitiis hinc inde oculis; omnem
in partem corpus gyras, & caput circumagis;
tanta cum immodestiâ, tantâ cum petulantia,
tantâ audaciâ, ne dicam impudentiâ misces fabu-
las, ac si esses in theatris, proponis, foro, ma-
cello, trivio, in loco quovis profano. Summum,
insonante per templum nolulâ, flectuntur genua:
erro, flectitur unum genu, coram quo flectitur
omne genu. Si quæ fiat reverentia, si inflectitur
caput, si inclinetur corpus, si pedibus verratur
humus tunc est dum Templum vel ingreditur,
vel egreditur putida aliqua ancillula, vel infame
scorium, hoc est diaboli mancipium. De Christo
nulla cogitatio, coram Christo nulla modestia,
erga Christum nulla reverentia, in precibus nul-
la attentio. Et hi scilicet sunt Catholici, qui illa
agant coram Christo, quibus indigniora agere
non possunt, qui Christum præsentem & ore, &
opere negant hæretici O pudor! ô dolor! Magis
hono-

honorat ethnicus; quodcunque suum idolum; Ammonitæ suum Moloch, Babylonii suum Bel, Chaldæi ignem, Persæ Solem, Ægyptii Crocodilum, Indi album Elephantem, Turcæ suum Mahomet: quicunque idololatræ, ligna, lapides, & quæcunque muta atque exanima, quàm Catholici multi Filium DEI, quàm Christiani aliqui præsentem in augustissimo delubro Christum. Videtur hoc ter adorandum Sacramentum non esse nisi vanum idolum. Si DEUM certò crederes, & coram te præsentem, & quidquid loquaris audientem, & quid cogites cognoscentem; & quid agas aspicientem: hoc inquam, si ut par est, crederes, manibus & pedibus reperes per omnia compita ad templum, in ipso sacrosancto limine oculi tibi effunderent lachrymas, manus percuterent pectus, cor suspiraret, lingua misericordias DEI cantaret: imò omnia ossa tua clamarent: *Domine quis similis tibi?* At nunc quo pacto persuadebis A catholico te esse Catholicum? Recitas, fateor, sapius Symbolum Apostolicum, quo profiteris te esse Filium Ecclesiæ Apostolicæ: dicis non rarò, *Credo in DEVM Patrem omnipotentem, & in IESVM Christum Filium eius.* Ingeminas *Credo, Credo;* sed quod dicis ore, contradicis opere: opera clamant cum Petro: *Nescio hominem istum.* Quid hic dicam nisi quod Isaac de suo filio? *Vox quidem, vox Iacob; sed manus, manus sunt Esau.* Ita cum toties repetis, *Credo, vox quidem, vox Jacob, vox Catholici; sed manus, manus sunt Esau.* opera sunt opera hæretici. O Christe! frustra es conatus illo suspiciendo corporis tui mysterio provocare nos ad honorem, & amorem tuum: in vanum voluisti nobiscum esse omnibus diebus, & que ad consummationem sæculi. Dum voluisti latitare

Psal. 34.
10.

Gen. 27.
22.

Fides
erga
Christum
in Eu-
charistia

sub vini & panis figuris, ipso quod passim bibitur vino, & qui editur pane, factus es contempnibilior. Sed ego, quem voluisti stare in conspectu tuo, non te negabo cum Petro denegante, sed confitebor cum Petro profitente, & dicam: Audiant cœli, & applaudant: audiat terra, & adoret: audiant Angeli, & exultent: audiant dæmones, & contremiscant: audiant hæretici, & frendeant: audiant Gentiles, & ringantur: audiant Judæi, & contabescant: audiat tota rerum universitas verba oris mei, imò & cordis mei: dicam & non negabo, & pro veritate, quam dicturus sum ego, *paratus sum* & in carcerem, & in mortem ire; pro illa veritate *animam meam penam*, pro ea sanguinem omnem oppignorabo: dicam audacter sine metu, rogatus de te, imò interrogatus à te quis sis Domine? dicam cum Petro, nec prius illud dicendi quam vivendi finem faciam: *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Et ut talem, jam nunc procidens adorabo te.

Luc. 22.

33.

Joan. 13.

37.

Matt. 16.

16.

§. XI.

Petri pœnitentia.

Jam Petrus Christum ter negaverat, & ideò ter impius, & ter miser. Jam erat de numero illorù Petrus, de quibus loquitur Jeremias: *Induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Jam verè Petrus à Christo aversus, conversus fuerat in petram. nunquid hic à te, ô Domine possem petere, quod ab Israelitis Moyles, stans coram petra; qui dicebat: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Et tu Domine, num de Petro, jam petra, aquam poteris ejicere? Vides jacentem Petrum, & non erigis? non audis festivo strepitu circumsonantem inferorum regionem, triumphantes Principes tenebrarum, ob extinctum illius lumen,

Jer. 3. 4.

Num. 30.

10.

men, qui erat lux mundi? Jam summo plausu acclamant hostes tui: Cecidit, cecidit petra illa, supra quam ædificanda est Ecclesia. Jam sibi ruinã promittunt totius fabricæ; cujus vident corruisse columnam. Et tu Domine usquequo? Ecce jacet in atrio prostratus miles tuus, Dux es, erige; Ecce ovem tuam in medio luporum; Pastor es, eripe: Ecce Petrum pereuntem, Jesus es, Salvator es, salva eum. Convertere aliquantulum à Caipha ad Petrum, respice discipulum. Avertisti faciem tuam, & ideo factus est conturbatus Apostolus tuus: opus hic est tuo oculo. Tuus enim oculus stanti est basis, confirmat; cadenti est manus, erigit; naviganti est cynosura, illuminat: pugnanti est classicum, animat: periclitanti est per fugium, liberat: currenti est stimulus, excitat. Claudis hũc oculum? jam stantes cadunt, vincuntur pugnantes, deficiunt currentes, desperant jacentes, merguntur navigantes, deniq; pereunt omnes. Respice Petrum illo oculo, jam in domo Caiphæ, quo ambulans juxta mare Galilææ, & fecisti piscatorem hominum. respice eum illo oculo, quo revelabas illi, quod esses Filius DEI vivi, & ille iterum fiet filius lucis. Quin & Petrus videns inimicum suum exultantem propter casum suum, tacitè ad te clamat: *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me Domine DEVS meus.*

Psal. 12.

8.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem?

Psal. 79.

4.

Usquequo avertis faciem tuam à me? Jam semel te negavi, quia avertisti faciem tuam. Jam iterum negavi cum juramento, quia oblivisceris mei. Jam tertio te negavi cum execratione mei. Usquequò oblivisceris mei: usquequo avertis faciem tuam?

Psal. 106.

18.

Ostende mihi faciem tuam, & salvus ero. Respice, & exaudi me Domine, iam appropinquavi utique

que

que ad portas mortis. Respice, Infixus sum in limo profundis, & non est substantia. Respice, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Respice, Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat; quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras flevit amarè. O quanta hic repentè metamorphosis! Christus videt, Petrus ardet: Christus amore ad Petrum convertitur, Petrus dolore ad Christum revertitur; Christus oculo emittit jacula, Petrus animo admittit vulnera. Dic Petre: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Petrus vulneraverat cor Christi dolore, eum negando; Christus vulneraverat cor Petri amore, eum respiciendo. Et de hoc vulnere exivit non sanguis, sed aqua. quis non stupeat, juxtà ac suscipiat vim oculi divini? Eodem momento quo respexit Christus, surrexit Petrus, stetit qui iacuit, flevit qui deliquit, & ut impensius què offenderat, amaret, flevit amarè. Ille oculus inspirabat illi spiraculum novæ vitæ, qui negando auctorem vitæ, erat vir mortis. Ille oculus uti ad Cainum fratricidam Deus clamabat: *Quid secisti?* Et mox disruptis cataraetis, quâ data porta fluunt lachrymæ. Eâdem horâ cecidit, & surrexit: vulnus accepit, & medelam vulneris. Tanti est à Christo respici. O homo! vide quo oculos convertas. Si illos aperis, ut videant vanitatem, quoties facti pœnitens exclamabis: *Oculus meus depradatus est animam meam.* Est oculus, qui animo est laqueus. Audi orantem Judith: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me,* scilicet Helofernes: Est oculus, qui intuenti est regulus: dum nictat, necat. Si lubet aperire geminas illas vultus fenestras, illi aperi, qui est vita, ne ascendat mors per fenestras: si ad illum convertas oculos, conversus aspiciet te, & invenies gratiam

Ps. 68 3.

Matt. 26.

75.

Cant. 4.

Gen. 4.

Oculi

cauté

aperien-

di.

Tbren. 3.

5.

Jud. 9 13.

Jerem. 9.

21.

Ibren. 2.

I.

Serm. 7.

in Ps.

118.

Ps. 118.

132.

Oculi
Christi
quàm
poten-
tes.

gratiam in oculis eius. O oculum omnibus ad salutem necessarium! *o peccator, magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Tot commisisti delenda, & nunquam flevisi. *Quis* (petit Augustinus) *stupris deditus, flagitijs involutus, lavat per singulas noctes lectum suum? Nescit flere, qui flenda committit, & cum sit ipse lachrymabilis, non habet pœna lachrymas sua.* Si nescias flere, *quis medebitur tui?* Confide; non opus est ferreis, quibus te percutias, catenis; non hispidis, quibus te pungas, cilibis; nec nodosis, quibus in corpus animadvertas, flagellis; nec quadraginta dierum, quibus te maceres, ieiuniis; non prolixis, quibus opem è cœlo pœscas, precibus; dic hoc unum cum Propheta: *Aspice in me, & miserere mei.* Unicus Christi aspectus est omnium, quos aspicit, salus. Quid ergo palambundos hinc inde circumfers oculos? Quid quid vides in hoc mundo præter Jesum, per quem factus est mundus, vel est, quia deficit, vanum; vel quia inficit, fœdum; vel quia interficit, sævum. Solius est Jesu, qui reficit, oculus. Si ardes libidine, si palles invidia, si contabescis mœrere, si in domitis affectibus transversus raperis, convertere ad Jesum, & dic: *Aspice in me, & miserere mei.* Si tibi blanditur caro, si lenocinatur mundus, si oppugnat dæmon: aude & iterum ingemina: *Aspice in me, & miserere mei.* Ubi Jesus semel respicit, mundus nobis desipit, & omnia quæ sunt mundi. Ubi Jesus respicit, cadunt catenæ de manibus, dissiliunt vincula: aperiuntur ultrò portæ ferreæ, redimuntur captivi. Ubi Jesus respicit, repente circumfulget nos lux de cœlo, illuminatur Intellectus, inflammatur Voluntas, corroboratur Spiritus, cor & caro exultant in Deum vivum. Ubi Jesus respicit, fiunt subito persecutores

Apostoli,

Apostoli, Publicani Evangelistæ, peccatores ejus discipuli, meretrices ejus sponsæ: redeunt ad patrem filii prodigi, surgunt paralytici, & tollunt grabatum suum, ambulant, & non deficiunt, currunt per viam mandatorum Dei, assumunt pen- nas sicut aquilæ, & volant. Ubi JESUS respicit, ex- templo, in ictu oculi, *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* *Matt. II.*
 Itaq; à JESU respici, est salutem consequi. Quò *S.*
 ergo potes utilius convertere tuos oculos, quàm ad illum, qui te diligit ut pupillam oculi? Si illum aspicias, omnia quæ optas, impetras: quia, teste S. Ambrosio, *Christus nobis est omnia. si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus astuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si coelum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* *Lib. 3. de Virgin.*
 Cùm ergò Christus nobis sit omnia, nunc ut ab illo uno impetremus omnia, ad illum oculos conver- tamus omnes. Illi oculi, quibus Petrum respexit, nulli sunt clausi, omnibus sunt aperti. Paratus est vos omnes hac hora ex ara aspicere, aspiciendo illuminare, illuminando accendere, accendendo ad se convertere. Sed ut vos aspiciat, vult & à vo- bis aspici, & suspici. Quid sit cur aliquos non aspiciat, ex Augustino discite: *Dorsum habebam ad lumen, & ad ea quæ illuminabantur faciem; unde ipsa facies mea, quæ illuminata cernebam, non illuminaba- tur.* *Lib. I. confess. 6. 10.*
 Habetis faciem obversam mundo; dorsum Christo. Convertite dorsum ad mundum, & fa- ciem ad Christum, & convertet ad vos oculos suos Christus. Clamat ipse ad nos omnes hic præsentem per os Zachariæ: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* *Zach. I. 3.*
 Auditis? convertimini, conver- tar. Averterat se Petrus à Christo negando, con- vertit

vertit se ad eum poenitendo. Itaq; omnium jam
& animi, & oculi ad eum convertantur, ut per
ejus oculos, ad eum revertamur. Ecce Christe
Ps. 144. *Oculi omnium in te sperant Domine.* Nos non sumus
15. *amplius ex numero illorum, qui oculos suos statuerunt
Ps. 16. 11 declinare in terram.* Scimus, quia terra vacua
Ps. 122. 2. *est & inanis; sed dicimus cum servo tuo: Sicut oculi
ancilla in manibus Domine sua, ita oculi nostri ad te Do-
minum Deum nostrum.* Ad te levavi oculos meos,
qui habitas in caelis, imò qui habitas nobiscum in
terris; es enim Emanuel. emitte super nos fulgur
tua, & fluent aromata nostra. Respice nos eodem
illo oculo, quo in domo Pontificis conversus re-
spexisti Petrum; & ut Petri, repente oculi nostri
deducant exitus aquarum; totum hoc templum
personabit planctibus, questibus, gemitibus, sus-
piriis. Aspice nos illis oculis, quibus cum Lazaro
è monumento foetidum resuscitares, lachryma-
tus es, & mox aperientur monumenta, & qui mor-
tui sunt, resurgent. Aspice nos illis oculis, quibus
aspiciebas turbam illam in deserto esurientem, &
mox misericordia motus, dicebas: *Miserere super
turbam.* Miserere super hanc turbam, quae firma-
vit super te oculos suos, donec ostendas nobis fa-
ciem tuam in excelsa habitaculo tuo, ubi abster-
ges omnem lacrymam ab oculis nostris, quando
te videbimus non amplius in speculo, & ænig-
mate, sed facie ad faciem, & salvi erimus.

C A P U T IV.

Christus in Concilio.

§. I.

Ducitur ad Concilium Seniorum.

Ps. 1. 1.

Est sacrum Davidis pronuntiatum: *Beatus vir
qui non abiit in Concilio impiorum.* Quid agemus
ne